

hominem representabat, sicut in ceteris animalibus dictum est. Tamen cur de hoc tertio tantum exprimitur, faciem quasi hominis? quia licet quod statueram, & formam membrorum esset corpus humanum, tamen propter multitudinem oculorum & alarum, quae propriae sunt avium, speciem declarabat, non tam hominis quam novi cuiusdam & ignoti animalis. Quartum simile aquila volanti, non actu, sed in preparatione, nam extendebat, & librabat alas in suo loco consistens, tanquam aquila parata ad volandam, velut exponit D. Aug. Hoc dicitur propter Evangelium Joannis, qui sublimis assurgit, ac proinde quasi aquila volat ad divinitatem Verbi; haec autem animalia erant Spiritus Angelici, qui sub animalium figura apparebant, ut sapè dixi.

Cur dicitur facies quasi hominis?

D. Aug.

QUESTIO XXIV.

An haec quatuor animalia sint eadem cum illis quae vidit Ezechiel, & qualinam forma fuerint, vultu, ac corpore?

197. Ezech. 10.

Animalia Ezechielis erant Cherubim sub talium animalium specie apparentium, ut aperte patet Ezechiel. 10. numer. 15. Elevata sunt Cherubim: ipsum est animal, quod videram juxta fluvium Chobar. Quod de his Apocal. dicendum est, si sunt eadem cum illis Ezechielis ex quo declarabitur an sint eadem cum illis, Ezechielis corpore, & vultu.

198. Prado. Vitalpand. Perer.

Primo, Prado in Ezechiel. 1. lect. 7. Vitalpand. tom. 2. l. 4. c. 4. Perer. & alii constanter tenent haec animalia per omnia eadem esse cum quatuor Cherubim Ezechielis c. 1. indeque astruunt haec, ut illa habuisse singula tantum faciem, & figuram humanam, alas tamen aquilae, juba leonis, & unguia bovis. Erant enim quadriformia, ita ut unumquodque animal videretur compositum ex quatuor illis speciebus; fundantur in eo, quia si haec animalia habuissent capita leonina, bovina, & aquilina cum figura humana, fuissent monstra quaedam.

199. Impugnatur sententia.

At haec sententia non est vera, nec potest sustineri, quia apud Ezech. 1. n. 6. unumquodque animal habebat quaternas facies; ait Textus: Et quatuor facies uni. At hic Joannes ait: Primum animal simile leoni, secundum simile vitulo. Similitudo autem, & forma animalium maxime spectatur ex facie, ut rectè de his animalibus docet D. Dion. de celesti Hierarchia c. 15. Deinde S. Joan ait: Tertium animal habens faciem quasi hominis. Hoc ipso significat primum, secundum & quartum non habuisse faciem hominis.

D. Dion.

200. Secunda sententia. Alcazar. Corn.

Secunda sententia, quam tenent Alcazar Cornel. à Lapide, hic tenet haec quatuor animalia non integra fuisse, sed tantum capita animalium; quoad cetera vero membra habuisse speciem, & figuram humanam (erant enim animalia non vera, & naturalia, sed symbolica, & hieroglyphica.) Primum ergo animal habebat caput leonis, alas vero, & plenum erat oculis; quoad pectus vero femora, tibias, pedes, brachia, manus, & cetera omnia, erant

homo. Sic & secundum animal habebat caput vituli, & quartum aquilae cum senis alis, & plenum erat oculis, & quoad cetera omnia homo erat.

Probant primò, quia haec animalia quoad primariam speciem, & figuram sunt eadem cum illis Ezechiel. 1. at qui haec Ezechielis tantum facies animalium habebant cum alis, & cetera membra corporis hominem referebant, ergo etiam haec animalia. Secundò haec animalia erant proxima Deo, & praecedebant viginti quatuor seniores, ergo speciem referebant humanam; indecens enim est quod leo vel bos praeponeatur homini. Tertio, quia haec quatuor animalia c. 6. vocant Joannem; & dicunt ei, Veni & vide, & ostendunt ei quatuor equos: haec autem pertinent ad hominem, & non ad leonem, vel bovem. Ergo, &c.

101. Fundamenta.

Contra hanc sententiam maxime urget veritas textus. Non enim ait Joannes, vidi hominem, seu faciem hominis: sed animal simile leoni. Animal autem simile leoni simpliciter, & absolute leonem refert secundum omnes suas partes, aliàs tantum secundum quid esset simile leoni. Confirmatur, quia Ezechiel expresse declarat in animalibus quae vidit diversitatem esse in faciebus n. 6. Quatuor facies uni. Et quoad cetera corporis praeter faciem fuisse humana n. 5. Hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Ergo si animalia, quae Joannes vidit, solum habuissent discrimen in facie, & in ceteris homines essent: hoc etiam expréssisset Joannes, ut expréssit Ezechiel.

102. Impugnatur praedicta sententia.

Nec fundamenta contraria aliquid urgent; quia haec animalia in omnibus non sunt omnino eadem, cum illis Ezechielis. Deinde haec non sunt vera animalia, sed symbolica, in quibus potius attenditur ad mysterium, quam ad eorum formam, ex quo non mirum, quod loquantur, & ostendant aliquid Joanni, nam etiam asina Balaam locuta est.

103. Solvuntur fundamenta contraria opposita.

Tertia, & vera sententia, quam tenent M. Joannes de la Haye, Tyrim, Ferrarius, & mihi vera videtur, cum qua dico primò quod haec quatuor animalia Apocalypsis tota, & integra fuisse, prout hic dicuntur, ac nominantur; ita ut primum animal simile leoni secundum caput, pectus, juba, ac pedes. Probatur, quia Joannes simpliciter, & absolute dicit, primum animal simile leoni, ergo totum illud animal leonem referebat, si enim tantum esset similitudo in facie, & non in corpore; non dixisset Joannes absolute, simile leoni, sed hoc expréssisset, ut expréssit Ezechiel, ut modò proxime dixi in impugnatione secundae sententiae. Confirmatur, quia universalis pictura totius Ecclesiae, dum haec animalia depingit juxta sacros Evangelistas, tota & integra animalia depingit, totum leonem, bovem, &c. Argumentum quod fieri potest, tertium animal habens formam hominis, in Expositione explicari.

104. Vera sententia. La Haye. Tyrim. Ferrar.

Dico 2. Haec animalia Apocalypsis eadem erant ac illa animalia Ezechielis, ut docent Divus Dionysius, Sophronius, D. Basilius, N. D. Cyril. Rupertus, & alii, quos citant & sequuntur Prado in Ezechiel. lect. 7. Vitalpandus tom. 2. lib. 4. cap. 41. Alcazar, Cornelius, & alii; quam conclusionem sic explico: erant eadem animalia in genere; nam utraque erat Leo, Bos, Homo, Aquila, & utraque habebant idem

105. D. Dionys. Sophron. D. Basil. Cyril. Rupert. Prado. Vitalpand.

idem significatum principale, scilicet Evangelium, sive Christum in suo Evangelio, seu Evangelistas significabant; at vero utraque animalia multum discrepant secundum suas rationes, individuales ac formales facierum & corporum, ut ostendo.

206.

Haec animalia Ezechielis sic apparebant, ut unumquodque haberet quatuor facies, & quatuor alas, ut ibi dicitur: Quatuor facies uni & quatuor pennae uni. At vero haec unam tantum faciem, & alas senas habebant, ut aperte ait textus. In illis fit mentio de pedibus eorum; in istis nulla illa habebant corpora hominis: haec vero uniuscujusque animalis, v.g. leonis bovis, &c. Ex illis emicabant scintillae; in istis vero nil tale hujusmodi. Illa habebant quatuor manus, & plures adhuc: ista vero duas, ut nobis ostendit communis pictura Ecclesiae. In illis junctae erant pennae eorum alterius ad alterum; in istis nil tale. In illis erat similitudo firmamenti supra eorum capita; in istis nil tale. Plurima in illis commemorantur de eorum moribus, hic nil tale dicitur. In illis cunctae erant mirabiles totae, non vero in istis. Illa nullam vocem expriment; haec vero non habebant requiem die, ac nocte dicentia Sanctus, &c. Illa trahunt curram divinae majestatis, de quo nil tale hic habetur. Quae omnia secundum suas rationes formales, ac individuales multam differentiam ostendunt.

207.

Hic tamen ad calcem quaestionis quaeres quare unumquodque animal apud Ezechielem habeat quatuor facies; quatuor facies uni; at hic apud Joannem unumquodque animal habebat unam tantum faciem. Primum animal simile leoni, secundum simile vitulo. Quare ergo apud Ezechielem quatuor unicuique facies cum pennis; Quatuor facies uni, & quatuor pennae uni, c. 1. n. 6. At in nostris animalibus munus praedicandi in Evangelio sibi dumtaxat vicebat; ore enim tantum divina arcana evulgabant, ac laudes divinas decantabant. Requiem non habebant die, ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus. At apud Ezechielem, in Evangelistis per animalia figuratis, munus scribendi resplendebat: quia eorum praedicatio, ac Sacramentorum referatio, non lingua, sed pennarum motu, ac agitatione celebratur; ut inde eluceat excellentia scribendi: cum Evangelistae ore tantum praedicant, & pennis non utuntur, unam tantummodo faciem obtinent, versus unam mundi plagam, ut ubi pennis pro linguis funguntur, ut quod Ezechielem, quatuor sortiuntur vultus, universas mundi plagas respicientes. Qui tantum praedicant, unam tantum habent faciem, seu praesentia in una terra, in una provincia; qui vero scribit, & calamo Dei magnalia evulgat, quatuor habet facies, erga quatuor mundi partes.

Ezech. 1. Scripsores fuisse Dei virtute annuntiant, quam ore praedicantes.

QUESTIO XXV.

Circa significatum horum quatuor animalium tredecim expositiones proponuntur.

Valde difficile est penetrare significatum, & intelligentiam horum quatuor animalium: nam Ezechiel non dixit se vidisse qua-

tuor animalia, sed similitudinem animalium, sic ait c. 1. n. 5. In medio ejus similitudo quatuor animalium. Et Joannes in praesenti: Primum animal simile leoni, secundum simile vitulo. &c. sic enim natura divina est invisibilis, sicque divina secreta nostram mentem transcendunt, ut ipse Prophetarum mentes elevarat tam tenui obtutu in illa ferebantur, ut non viderent ipsam naturam divinam in se ipsa, nec ipsa decreta divina prout omnimodè sint, sed eorum imagines, ac similitudines, ex illo enim altissimo splendore divinae majestatis, mortales mentes non nisi minutissima stillicidia participant. Theodoretus in Ezechiel. Quis posset, ait, revelationem aperte declarare, cum ipse Propheta in ejus enarratione defatigatus fuerit. Non enim simpliciter quatuor animalia se conspexisse dixit, neque irem similitudines animalium, sed tanquam similitudinem quatuor animalium, ut perspicuum sit, non ipsum vidisse divinum Prophetam eorum, qui nequeunt cerni per naturas, sed similitudines & formas.

Celsitudo divina naturae, ac beatitudinis maxima transcendit nostrum caput.

Theodor.

Quid ergo haec animalia, significant, tota quaestio est. Quidam Heretici apud Cornelium dicunt in leone significari Apostolos, in bove Constantium, in homine suum. Lutherum, & Calvum; quid vero Aquila significat adhuc expectant, sed hoc est figmentum haereticorum. Quo omisso.

109. Cornel.

Primo, inter Catholicos Aureolus, & Lyranus existimant in his quatuor animalibus accipiendas esse ad litteram quatuor sedes Patriarchales, Jerosolymitanam in Leone ob Apostolorum constantiam ibidem; Antiochenam in vitulo; quia subdit colla Apostolus Jerosolymis agentibus, Alexandrinam in homine ob viros doctissimos quas habuit, Origenem, Clementem, Didymum, Cyrillum, Athanasium; Constantinopolitanam in Aquila, ob viros in contemplatione florentes, Gregorium Nazianzenum, Chrysostomum, & alios. Haec quatuor sunt in circuitu throni Dei, id est, Cathedrae Romanae, in qua sedet Dei Vicarius. Ita Aureolus. Sed quid habent illa quatuor animalia cum illis sedibus, cum defecissent à fide, & unitate Ecclesiae, indeque cessaverit clamare Sanctus. At illa animalia sine intermissione clamant die, ac nocte Sanctus.

110. Aureol. Lyran. Quatuor sedes Patriarchales.

Secundo, Origenes homilia 1. in Ezechiel & ex eo Nazianzenus apud Sixtum Senensem lib. 2. per haec quatuor animalia existimant significari quatuor facultates, & vires animae humanae; per hominem denotatur vis rationalis; per leonem, irascibilis; per bovem concupiscibilis, & per Aquilam conscientia sive Spiritus.

111. Origen. Nazian. Sixtus. Facultates animae.

Tertio, Aretas, & D. Bernardus, Senensia virtutibus animae transeunt ad virtutes animae, & dicunt in his animalibus significari quatuor virtutes Cardinales, in facie quippe hominis temperantia designatur, proprium est hominis inter alia animalia in operibus suis servari moderationem; in facie leonis justitia denotatur, Pro-

112. Aretas. D. Bernardus. Virtutes Cardinales.

verb. 28. numero 1. Justus quasi leo confidit. In facie vituli virtus fortitudinis indicatur, vitulus enim ad laborem, ac illius patientiam paratus est; & in facie Aquilae prudentia demonstratur ad contemplandum, ac faciendum bonum. Sed

Prov. 28.

cur facies Aquilae desuper ipsorum quatuor, ut dicitur Ezech. 1. n. 10. Quia prudentia caeteris virtutibus Cardinalibus superior est. Ita D.

C 4 Bernard.

Prudentia  
ceteris virtu-  
tibus Cardina-  
libus Superior.

213.  
Michaël.  
Violæus.  
Ecclesia variis  
temporibus  
mysticè, deno-  
tanda.

214.  
Quatuor  
D. flores.

215.  
Aretas.  
Mundus signi-  
ficatur.

216.  
Galfridus.  
D. Antonin.

Viegas.  
Petrus.  
Boni Prælati  
mysticè defi-  
gnatur.

217.

Bernardus tom. 4. Dominica. 8. post. Pentecost. art. 3. cap. 2. In facie Aquilæ, ait. prudentia demonstratur, qua ceteris virtutibus altius prospicit, & providet, atque superintendit: ad providendum aliis virtutibus prudentia primatum tenet, bene igitur facies Aquilæ desuper esse dicitur propter intelligentiam visionem.

Quartò, Abbas Michaël Violæus, M. S. sic sub his animalibus Ecclesiam interpretatur; & sic ait: primitiva Ecclesia leoni comparatur, propter prædicationem. Etenim leo rugiendo querit quod rapiat, sic Apostoli prædicando nobiles per orbem prædas egerunt; deinde Ecclesia rectè similis dicitur vitulo; vitulus enim animal est mactationi, ac sacrificiis dicitur; nam in primitivo tempore usque ad Constantinum Magnum sub atrocissimis tyrannis Tito, Vespasiano, Nerone, Domitiano, ac aliis crudelissimis, multis persecutionibus vexata est Ecclesia multorum Martyrum sanguine irrigata, qui sanguis oblati est Deo in odorem suavissimi sacrificii. Deinde Ecclesia homini assimilatur sub Constantino Magno, ac deinceps sub aliis Principibus, quorum benignitate, pietate ac favore, multum Ecclesia dilatata, augmentata, ac locupletata est; tandem Ecclesia Aquilæ similis est, magis enim aliis evolavit in remotissimas partes tam in Orientem, quam in Occidentem, ut manifestum est ope Lusitanorum, ac Castiliensium Regum.

Quintò aliqui existimant esse quatuor Doctores Ecclesiæ hominem scilicet facilem, & benignum S. Gregorium, Leonem fortem, & efficacem Ambrosium, Bovem laboriosum, & solidum Hieronymum, Aquilam subilem, ac subtilem Augustinum.

Sextò, Aretas per hæc quatuor animalia mundum interpretatur sive magnum, sive parvum, qui ex quatuor elementis constat. Leo enim significat ignem, bos terram, homo æterem & Aquila aquam, ex ea enim aves creavit Deus.

Septimò, Galfridus apud Sixtum Senensem, D. Antonius Padoanus in fragmen. in Apocal. dicitur hæc quatuor animalia typum gerere boni Prælati, & idè dicitur apud Ezechielem quatuor facies uni, debet esse fortis ut leo; laboriosus ut bos, clemens & compatiens ut homo, & contemplativus ut Aquila, inde Viegas, & Pererius volunt in eis representari bonos Prælatos. Secundò, bonus Prælati vigilat debet super gregem suum, ut leo, vel etiam ut leo debet rugire comminando penam, & incutiendo timorem peccatori, & mugire debet ut bos compatiendo peccatoribus, & ad pœnitentiam provocando; loqui ut homo consolando, & ad mutuum dilectionem animando; verbo & opere exaltari debet ut aquila corda hominum ad æterna desideria sublevando, & spem gloriæ promittendo.

Pro quo nota dicitur apud Ezechiel. 1. num. 14. quod hæc quatuor animalia ibant, & revertebantur in similitudinem fulgoris cornucantis. Quo nihil velocius discurrat, quia bonus Prælati Evangelicus non solum sibi ipsi attendere debet, sed etiam ad instar fulgoris discurrere ad illuminandas, non unam aut alteram sed omnes si fieri posset nationes. Quod maxime competit viris Evangelicis, quod pater ex diverso discrimine habendæ lucem in manibus, nam de his

dicitur Luc. 12. num. 3. *Et lucerna ardentes in manibus vestris.* At de decem virginibus legitur Matth. 25. num. 1. *Accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsa.* In quo considera, quod viri non habent lampades, sed lucernas, virgines è contra non lucernas, sed lampades; apta unicuique lucis imago proportionatur. Quia virgo non curari debet per vias, sed domi clausa sit, veluti lampas in templo consecrata; ac vero virorum est lucernas ardentes tenere, ut pietatis operibus vacantes in publicum exeant, ac percurrant, tanquam Dominum suum lucernis ardentibus expectantes, ac querentes, ut ita omnes illuminent ut Dominum suum videant, & agnoscant, & ad ipsum veniant. Ita lucernas ardentes in manibus explicat. D. Cyril Alex. in catena D. Thomæ: *Lucerna autem accersio, ait, significat, ut non patiamur ab quem in tenore ignis nostri vivere.*

Octavò, Joachimus Abbas existimat in his animalibus adumbrari Ecclesiasticam Hierarchiam, Apostolis convenit leo, nam ipsi tanquam leones Gentilium regna debellarunt: Vitulo similes sunt martyres propter donam patientiæ, de quibus dicitur Plal. 50. n. 21. *Tunc acceptabis sacrificium iustitia, oblatione & bo-*

locusta tunc in ponent super altare, tum vitulo. Aquilæ volanti proportionatur contemplativi, ac virgines, qui perperua meditatione, ac contemplatione in divinis mysteriis perseverant. Facies hominis tribuitur Confessoribus ob humanitatem, ac humilitatem, eis enim concessum est fluere scripturaturæ populo efundere: quod confirmat citatus Joachimus ex illo, quod dicitur Jacob. 4. num. 6. *Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam, & Plal. 103. n. 10. Qui emittit fortes in convallibus.*

Nonnulli omnes Ecclesiasticos Ordines in his quatuor animalibus existimant designari: Principes in republica, ac milites in bello sunt leo, populus sive artifices bos; Rectores & jas dicentes, homo, Ecclesiastici & contemplativi, aquila. Decimò alii dicunt representari omnes cætos Religiosi: nam militares, sunt leo, qui autem interviunt agrotis, & vitam activam agunt, bos; qui docent, homo; qui solitariam vitam degunt; & contemplantur, aquila.

Decimò, Alcazar existimat in his animalibus designari viros sanctissimos, ac perfectissimos, qui majores sunt sanctitatis, ac dignitatis, quam illi, qui in senioribus designantur. Quod quantum ad primam partem prius docuit Genebrardus in Apocal. *Quatuor animalia, ait, ministri verbi Dei, quos oportet his dotibus esse prædicationis, quas sub metaphora leonis, vituli, hominis, & aquilæ Ezechiel describit: nempe quod sunt in expedienda provincia fortes ut leones, constantes ut vituli, providentes ut homines, celeres ut aquila.* Nam ut ait D. Bern. Senens. in præfenti. *Quatuor hominum perfectum efficiunt, scilicet fortitudo tolerationis in leone; labor exercitationis in vitulo; mansuetudo compassionis in homine; & sanctitudo meditationis in aquila.*

Undecimò, aliqui apud Cornelium opinantur hæc quatuor significat quatuor attributa divinæ providentiæ. Hæc enim fortis est ut leo, velox ac penetras ut aquila, suavis & amabilis ut homo, longanimis & patiens ut bos; significat enim bos laborem fortem, & pertinacem concerta

Luc. 12.  
Matth. 25.  
Viri Apostolici  
non sibi, sed  
aliis volunt  
proficere.

D. Cyril.

218.  
Joach.

Plalm. 50.  
vera doctrina  
cum humi-  
litate.

Jacob. 4.  
Plalm. 103.

219.  
Omnes cætos  
Religiosi.

220.  
Alcazar.

Genebrard.

221.  
D. Bern.  
Senens.

221.  
Quatuor di-  
vinæ attributa.

222.  
S. Victor.  
Ansbertus.  
D. Hieron.  
Athanas.  
D. Greg.

In resurre-  
ctione maxi-  
mè sese ma-  
nifestavit  
Christi ma-  
jestas.

Isai. 45.

Habac. 3.

223.

Christus non  
carnem pe-  
ccati, sed si-  
militudinem  
carnis peccati  
habuit.

224.  
Ezech. 1.

Incarnatio  
&  
resurrectio  
in dextram l. xi.

concertationem, ut ait Philaster. li. de Hæresib. §. De quatuor animalibus.

Duodecimò, S. Victorin. Martyr, Ansbertus, Hieron. D. Athanas. Synaita lib. 4. in Hexameron. & D. Gregor. Magn. citand. putant hæc quatuor animalia Christum Dominum significare, quia in illo tot, & tanta sunt, quæ non possunt nisi multis symbolis explanari, nam Christus Dominus in Incarnatione fuit homo; in Passione vitulus multa sustinens; in Resurrectione leo devincens mortem; in Ascensione Aquila volans in sublime. Cur tamen leo primo ponitur loco, nam si mysteriorum ordo observandus esset; prius ponendus erat homo, in quo Incarnatio denotatur, secundo vitulus denotans Passionem; tertio leo resurrectionem designans, & quartò aquila Ascensionem indicans. Cur ergo leo primum obtinet locum? Meritò tamen; nam leo significat triumphantem Christi resurrectionem, de diabolo, mundo, ac morte: *Vicit leo de tribu Juda.* Inde ei describitur primus locus; Resurrectio enim est primum mysterium, in quo maxime sese ostendit, ac declaravit Christi majestas in toto mundo. In Incarnatione divinitas abscondita erat in Christo: *Verè tu es Deus absconditus.* Isai. 45. n. 15. In Passione maxime abscondita fuit divina ejus omnipotentia: *Cornua in manibus ejus, ibi abscondita est fortitudo ejus.* Habacuc. 3. n. 4. At in resurrectione maxime Christi majestas, magnis, ac gloriosis dotibus, splendoribus, signis, ac manifestationibus sese declaravit, ac manifestavit.

In hac expositione maxime notandum, quod Evangelista ait: *Tertium animal habens faciem quasi hominis.* Cur non dixit habens faciem hominis; Christus enim verus est homo? Ait tamen quasi faciem hominis: nam Christus et si verus homo, non tamen carnem peccati habuit. solum similitudinem carnis peccati habuit. Quod acote observavit D. Greg. hom. 4. in Ezech. *Non faciem hominis, ait sed faciem quasi hominis habuit, quia Redemptor noster, de quo agit, non carnem peccati, sed in similitudinem carnis peccati venit: quantum enim ad malum, nihil de homine habuit, quia peccatum non fecit.*

Meritò in hac sententia notat idem S. Gregorius citato loco quod 1 apud Ezechielem dicitur cap. 1. num. 10. *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bovis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.* Sed cur vitulus à sinistris conspiciatur, à dextris autem homo, & leo? Xtera lætum, & jucundum denotat; sicut sinistra triste, & doloriferum: sicut inenarrabili tristitia affecerat mors Christi suos discipulos, in vitulo designata, sic & ineffabili gaudio omnes electos repleverat ejus incarnatio, & Resurrectio in homine, & leone significata. Sic ait Sanct. Pater: *eius nativitas, & Resurrectio discipulis lætitiæ præbuit, quos ejus Passio contristavit, hinc homo & leo à dextris, vitulus vero à sinistris ejus fuisse describitur.*

Tertio decimò, Cornelius a Lapide cum Hieronymo, Prado in Ezechiel ac Pereira. ait quod hæc quatuor animalia sunt illa, quæ Ezechiel vidit, & significat quatuor primarios Angelos, Principes, & administratores Dei circa cætam Ecclesiæ, ac circa salutem, & regimen hominum, totiusque mundi. Hanc sententiam

probat primò Cornelius, quia hi Angeli referunt in se stigmata Dei, celsitudinem & sapientiam in Aquila, bonitatem, & mansuetudinem in homine; patientiam, iustitiam, & cultum Dei in vitulo; fortitudinem, & potentiam in leone. Secundò, quia proximi sunt throno Dei, cui assistunt Angeli proxime. Tertio, quia p'eni sunt oculis, cum aliis senis ad significandam eorum velocitatem.

Hæc sententia multam patitur difficultatem, & primò in Prologo Apocalypsis ait Cornelius quod hic & apud Ezechielem. Ioannes denotetur in Aquila, in cujus confirmat. adducit D. August. tract. 36. in Ioan. dicens: *S. Ioannes Apostolus non immeritò aquila comparatus altius multoque sublimius aliis tribus Evangelistis erigit Prædicationem.* Si ergo aquila significat Ioanem, jam quatuor animalia non sunt quatuor primarii Angeli.

Deinde contra hanc sententiam cap. 5. sequenti num. 9. decantant seniores, & quatuor animalia; *Redemisti nos Deus in sanguine tuo: Angeli autem non sunt redempti à Christo.* Dices quod animalia illa caneant cum viginti quatuor senioribus, ac proinde communi voce ut aliorum custodes. Sed contra, Ioannes eodem cap. 5. n. 12. distinguit vocem Angelorum multorum millia millium, à voce quatuor animalium: ergo quatuor animalia representatione distincta erant ab Angelis, & prout distincta caneant. Confirmatur, quia cap. 7. n. 11. *Omnes Angeli stabant in circuitu throni, & seniorum, & quatuor animalium.* Ergo quatuor animalia distincta sunt à numero omnium Angelorum, ut ab eis diversa proponuntur

Argumentatur secundò contra illam sententiam, quia Ioannes cap. 5. num. 6. ait: *Vidi in medio throni, & quatuor animalium, Agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus Dei missi in omnem terram.* Ubi per septem Spiritus missos in omnem terram interpretatur Cornelius cum communi sententia septem primarios Angelos. Ergo si hi missi erant in omnem terram, non erant quatuor animalia, qui stabant in circuitu throni.

QUÆSTIO XXVI

Ponitur vera sententia, veraque interpretatio circa quatuor animalia.

Communis, & vera sententia est, quod hæc quatuor animalia significant quatuor Evangelistas, sub eorumque nomine omnes veros Doctores ac Prædicatores Ecclesiæ. Ita Divus Augustinus cit. superiori questione, & lib. 1. de consensu Evangel. cap. 6. & etiam hoc loco Beda, Primasius, Richardus de Sancto Victore, Rupertus, Ansbertus, Pannonius, & alii communiter; Viegas, & alii Recentiores. Et confirmatur ex auctoritate Ecclesiæ, quæ hæc animalia appropriat ad factos Evangelistas. Quomodo autem cuilibet Evangelistarum unumquodque animal proportionetur, convenientius explicabo questione sequenti.

Primarii  
quatuor An-  
geli.

226.  
Cornel.

D. Aug.

227.  
Apoc. 5.

Apoc. 7.

228.

Cornel.

229.  
Vera sententia.

D. August.  
D. Hieron.  
D. Greg.  
Beda.  
Primas.  
Richard.  
Rupert.  
Pannon.  
Viegas.

probat